

PONTIFICIUM CONSIGLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 1

1990



N. 1

Semestrale

IUNIO 1990

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Ro-	
tae Romanae coram	3
Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos ac Officiales Paenitentiariae	
Apostolicae et ad Paenitentiarios Basilicarum Patriarchalium in Urbe	
coram admissos	8

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium	11
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et moralibus » (« De Quaestio-	
nibus specialibus Libri II » (Sessio VII)	12
II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso-	
nis physicis et moralibus » (Sessio VIII)	36
III. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso-	
nis physicis et moralibus » (Sessio IX)	74
IV. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso-	
nis physicis et moralibus » (Sessio X)	118

* * *

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	167
Notitiae	168

III

**COETUS STUDII
« DE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS »**

(OLIM « DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »)

Sessio IX
(diebus 14-18 febr. 1972 habita)

Diebus 14-18 februarii 1972, in Aula huius Pontificiae Commissionis, habita est IXa Sessio Consultorum, qui Coetum Studii efformant ad recognoscendas normas « de personis physicis et iuridicis » (olim « de personis physicis et moralibus » ac prius « de quaestionibus specialibus Lib. II »).

In conventibus partem habuerunt Rev.mi tres et Ill.mus unus Consultores.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus D.nus Marianus De Nicolò, Adiutor a Studiis Commissionis, acta redegit.

Quaestio in hac studiorum coetus sessione tractanda erat altera recognitio textus canonum de personis physicis et iuridicis (can. 3 § 2), de actibus iuridicis, de officiis ecclesiasticis et aliqua saltem delibare de ordine systematico Libri I Codicis.

Ineunte Sessione, Rev.mus Relator, proponit ut initium sumatur a § 2, can. 3 *de personis iuridicis*, ubi sermo est de collegio.


Resumitur disceptatio de hac materia iam in anteacta Sessione VIIIa habita (cf. Relationem Sessionis VIIiae, p. 20; cfr. *Communicationes* 22 [1990] 51).

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit Episcoporum collegium non esse stricto sensu collegium sicuti habetur in « nota explicativa » Constitutionis dogmaticae de Ecclesia *Lumen Gentium* Concilii Oecumenici Vaticani II. Ast « nota explicativa » sese refert ad conceptum collegii quod in iure vigenti habetur.

Consilia presbyteralia et Consilia pastoralia — adnotat insuper idem Rev.mus Secretarius Ad. — sunt aliquo modo collegia ex eo quod possimus dicere ea in decisionibus ferendis concurrere, saltem aliquo modo.

Sunt quidem collegia in quibus membra aequali iure et alia collegia ubi membra non aequali iure in decisionibus ferendis concurrunt.

Rev.mus primus Consultor notat praecise distinctionem consistere in



modo voluntatis collegii efformandae. Et concurrentia — dicit Rev.mus secundus Consultor — non semper eadem est in variis collegii speciebus.

Rev.mus Secretarius Ad. post disceptationem, proponit ut post « concurrentia » dicatur « sive aequali iure sive non ». Placet omnibus.

Cum reliquae normae iam recognitae sint, fit gressus ad canones *de actibus iuridicis*.

Canon 1 (novus)

§ 1. Validus est actus iuridicus a persona habili aut competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderantur sollemnia vel requisita lege ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus externus rite positus praesumitur validus; quae tamen praesumptio invocari nequit in aestimandis quae natura sua actum essentialiter constituunt nec in dijudicanda competentia, quae quidem positive est probanda.

Circa verbi significationem Rev.mus primus Consultor notat in lingua iuridica vocabulum « competens » duas habere significationes: *a) stare enim potest pro condicionibus ad actus validitatem necessariis; b) vel respicere potest quae ad actus liceitatem tantum sese referunt.*

Rev.mus Secretarius Ad. adnotat tamen « competentiam » qualitatem esse quae personam publicam respicit, quae scilicet ratione officii agit, dum habilitas personam privatam respicit. Episcopus, ex.gr., competens ad leges pro sua dioecesi ferendas dicitur, et numquam habilis. Competentia insuper, prosequitur Rev.mus Secretarius Ad., semper actus validitatem respicit, ita ut si persona publica, quae actum posuit, non est competens ad illum ponendum, nullum actum facit.

Rev.mus secundus Consultor notat hic agi de personae capacitate, quae via est ad eiusdem habilitatem: dari enim potest casus in quo quis sit capax sed non habilis. Proinde habilitas iam saltem aliquod elementum iuris positivi prae se fert.

Assentit Rev.mus Secretarius Ad., qui tamen pro retinendo textu uti iacet insistit, quia verbo « habili » omnia sunt dicta.

Erga superius a Rev.mo primo Consultore dicta, de vocabuli « competentia » valore et extensione, Rev.mus Secretarius Ad. adiungit per se non negare competentiam respicere etiam posse ea quae ad liceitatem actus requisita sunt; tamen, in nostro casu, cum dicatur « validus est actus », clare competentia ea, quae requisita sunt pro actus validitate, respicit.

Rev.mus secundus Consultor quaestionem movet num non expeditat textum forma proponere negativa, qua Codex usus est, ita ut dicatur « Nullus est actus nisi... ». Sibi haec forma placeret, quia revera difficile

est in uno canone omnia de validitate componere. Numerosiores, enim, esse poterunt causae invaliditatis ad quas fortasse non attenditur si forma utatur posita. Ad modum exempli indicat in Constitutione dogmatica de Ecclesia *Lumen Gentium* Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II, ubi de Episcoporum Collegio agitur, dici id non habere potestatem nisi in communione cum Romano Pontifice. Forma itaque Concilium utitur negativa. Etsi sibi forma haec magni placeat, tamen Rev.mus secundus Consultor dicit se non insistere. Ipsi placeret insuper in altera paragrapho sermonem fieri de sollemnitatibus et clausulis irritantibus et inhabilitantibus, et demum in § 3 de praesumptione.

Ill.mus tertius Consultor notat in contextu systematico Codicis formulam negativam suam habere rationem.

Propositio Rev.mi secundi Consultoris non placet Rev.mis primo Consultori et Secretario Ad. qui formam preeferunt positivam, sicut etiam in *de legibus* factum est.

Post disceptationem, omnes conveniunt ut res maneat sicuti est.

Rev.mus primus Consultor petit ut verbum « conditiones » cum « requisita » mutetur. Ad nullitatis rationes quod attinet, idem Rev.mus D.nus animadvertis praeter ea quae recensita sunt alias quoque rationes seu causas dari quae ex voluntate partium provenire possunt, uti, ex. gr., in simulatione; sed in casu — replicat Rev.mus Secretarius Ad. — deficit quod actum ipsum essentialiter constituit, id est consensus.

Post disceptationem, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam:

« Validus ut sit actus iuridicus requiritur a persona... sit positus... »
Quae tamen formula hoc modo in ultima redactione est:

« Validus est actus iuridicus a persona habili aut competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderantur sollemnia vel requisita lege ad validitatem actus imposita ».

Formula omnibus placet.

Rev.mus Secretarius Ad., suggestionibus in disceptatione auditis, quaerit num non expedit alteram textui adiungere paragraphum circa praesumptionem de actus validitate, omnibus rite positis.

Compertum enim habetur praesumptionem non valere de iis quae natura sua ad actus essentiam pertinent. Certe praesumptio manet, sed ad probanda ea quae actum essentialiter constituunt afferri nequit.

Rev.mi primus et secundus Consultores optant ut sermo de non applicanda praesumptione etiam ad competentiam extendatur.

Rev.mus Secretarius Ad. omnium auditis sententiis, sequentem propo-nit textum:

« Actus rite positus praesumitur validus; quae tamen praesumptio in-

vocari nequit in aestimandis quae natura sua actum essentialiter consti-
tuunt nec in dijudicanda competentia, quae quidem positive est proban-
da ».

Placet textus, mutata tamen locutione, ex propositione Rev.mi primi
Consultoris, « in aestimandis » cum « ad probandam », quia expressio « in
aestimandis » — sicut postea de competentia « dijudicanda » — sese re-
fert ad facta quae probatione indigent.

Ill.mus tertius Consultor aliquam facit observationem caracteris gene-
ralis. In Codice — notat Ill.mus Vir — regulae pro actibus iuridicis ad-
sunt, necnon aliae regulae disperse pro aliquibus actibus, uti ex. gr. pro
dispensationibus, decretis, praeceptis etc. Deficiunt, tamen, regulae seu
normae generales pro activitate administrativa qua tali. Normativa de ac-
tibus administrativis ponendis totaliter desit: de eorumque efficacia, de
temporis problematibus, de iis interesse habentibus etc., et in § 2 tantum
aliqui aspectus adumbrati sunt. Tamen idem Ill.mus Vir dicit se cum aliis
de § 2 redactione plene consentire.

Canon 2 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequa-
quam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex do-
lo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam cann. (1684-
1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiu-
sve ius obtinentium sive ex officio.

Quoad § 1:

Rev.mo primo Consultori textus placet etsi difficultas in praxi semper
habetur pro eius probatione.

Rev.mus quartus Consultor quaerit cur de vi ab extrinseco illata sermo
fit.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. vim semper ab extrinseco inferri;
difficile est, enim, loqui de vi ab intrinseco illata; etsi dari potest casus
— notat Rev.mus primus Consultor — metus gravis ab intrinseco.

Omnes Consultores in fine concordant pro retinendo textu uti iacet.

Quoad § 2: Placet.

Canon 3 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod
eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non,

irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Textus canonis placet, sed dicatur « recidit » loco « recidat » (primus Consultor).

Canon 4 (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu, de quibus in can. 2 § 2, aut ex dolo, aut ex ignorantia vel errore de quibus in can. 3, votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest ».

Novus textus ita componitur: « Invalidus censetur ... ex vi et metu aut ex dolo, de quibus in can. 2 § 2, aut ex ignorantia ... ad normam iuris iis quorum interest ».

Omnibus placet.

Canon 5 (CIC 105)

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1º si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2º si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audiencis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3º si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; et si non convocantur omnes, aut si iisdem non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4 (can. 16 § 3 textus recogniti);

4º omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

Quoad n. 2^o:

Rev.mus quartus Consultor quaerit num non expedit locutionem « licet nulla obligatione teneatur » e textu expungere.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. eam servandam esse ne dicatur Superiorem obligationem accedendi voto habere. In hoc enim praecise stat differentia inter consilium et consensum requisitum.

Quoad n. 3^o:

Placet, sed loco « et si non convocatur... non praebetur », dicatur: « quod si non convocentur ... non praebetur ».

Placet canon cum emendatione in n. 3^o.

Canon 6 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libereposito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

Placet canon.

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Canon omnibus placet.

Canon 2 (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam iuris.

Omnibus placet.

Canon 3 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praeceserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesscerit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an verbum « admissio » retineri debeat in textu aut melius sit dicere « aut per confirmationem ... si praeceserit electio, aut per admissionem ... si praecesscerit postulatio ».

Rev.mus primus Consultor praeferit formulam per modum unius uti iam est in textu, quae sibi clarior videtur.

Remanet igitur textus uti iacet.

Canon 4 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis irrita tantum est, si qualitates iure universali vel particulari aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exiguntur, valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam Tribunalis administrativi.

Quoad § 1:

Rev.mus primus Consultor notat documenta conciliaria sermonem facere de « Ecclesia universa », de « Ecclesia universalis » et de « Ecclesia tota » et habetur problema — adiungit idem Rev.mus D.nus — circa terminologiam in lingua iuridica.

Rev.mus Secretarius Ad. notat ius latinum universale esse et ubique terrarum valere. Distinguendum est inter Ecclesiam universam et Ecclesiam universalem, quae prima ex Ecclesia latini ritus necnon rituum orientalium constat; dum altera aequa latina aequa orientalis est. Distinctio enim inter latinam et orientalem Ecclesiam non est territorialis sed ritualis.

Rev.mus secundus Consultor animadvertis modum loquendi Codicis non esse semper sibi constantem, sed de his sermonem in canonibus de verborum significatione institui debere.

Si nunc adhibemus vocabulum lex universalis pro Ecclesia latina, quae ubique terrarum valet, terminum non habemus pro lege quae valet pro Ecclesia universa.

Post disceptationem omnes Consultores convenient ut retineatur textus prout iacet.

Quoad §§ 2-3:

Placent uti iacent.

Canon 5 (CIC 154)

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secumfert, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvis praescriptis can. ... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

Rev.mus primus Consultor notat hodie etiam laicos aliquam curam animarum exercere posse, etsi non plena, ideoque textum non sibi videri valde praecisum.

Rev.mus secundus Consultor quaerit quae sint res quae peragi possunt a diaconi, quae fieri nequeunt etiam a laicis. Et haec consideratio incidentiam habet in consideratione de opportunitate restauracionis diaconatus permanentis.

Certe, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., si omnia quae peragere possunt diaconi, laicis etiam possunt concredi, diaconatus permanens es-set superfluus. Et quod non possunt laici, diaconi vero possunt, est matrimoniis assistere.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « Officium quod exercitium ordinis sacerdotalis secumfert... ».

Rev.mus Secretarius Ad. praefert ut post « officium quod » adiungatur « natura sua ».

Rev.mus primus Consultor loco « natura sua » praefert « proprium ».

Post disceptationem, sequens a Rev.mo Secretario Ad. proponitur textus:

« Officium secumferens curam animarum ad quam plene adimplendam ordinis sacerdotalis exercitium requiritur, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit ».

Hic textus omnibus placet.

Canon 6 (CIC 155)

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

Placet canonis textus, mutatis tantum verbis « cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus » cum sequentibus: « nisi aliud iure statuatur ».

Canon 7 (CIC 156)

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n.3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi ob gravem causam clausula adiiciatur derogatoria.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit in hoc canone officia incompatibilia non definiri modo obiectivo, ideoque § 2 difficultas applicationis fieri. Proponit insuper ut sanctio nullitatis tollatur.

Rev.mus Secretarius Ad. concordat circa difficultatem applicationis § 2ae, tamen praefert ut sanctio nullitatis remaneat.

Rev.mus primus Consultor dicit in historia sanctionem nullitatis praeceps positam esse contra beneficiorum cumulationem, tamen hodie sub hoc respectu sanctio illa potest etiam cadere.

Sententiis Consultorum auditis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut § 1 praeponatur locutio « nisi in casu omnimodae necessitatis », vel melius « nisi adsit vera necessitas ».

Placet.

Iste dicendi modus magis conformis rerum veritati est, considerata impossibilitate criterium obiectivum de officiis incompatibilibus stabiliendi.

Supprimitur, ergo, paragraphus 2a.

Canon 8 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Placet omnibus.

Canon 9 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem

non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Placet omnibus.

Canon 10 (CIC 158)

Qui vocem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Placet canon, sed loco « in nominatum » dicatur « in provisum ».

Canon 11 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Placet.

Canon 12 (CIC 152)

Nisi aliud expresse iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario Generali et Vicario Episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

Placet canon, sed, proponente Rev.mo primo Consultore, dicatur « explicite » loco « expresse ».

Canon 13 (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resonantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Placet omnibus.

Canon 14 (CIC 160 — norma provisorie inscripta)

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945, M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electione*, 5 septembris 1962.

Placet canon; sed, proponente Rev.mo secundo Consultore, in citationibus adiungatur mentio de Litteris Apostolicis Pauli Pp. VI, Motu Pro-

prio, die 21 novembris 1970, datis, quae verbis *Ingravescentem aetatem* incipiunt.

Canon 15 (CIC 160) olim 14 bis

Nisi aliter iure universalis vel particulari aut legitimis collegiorum vel coetuum statutis provisum fuerit, in coeteris electionibus canonicis serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit, stante huius canonis praescripto, omnes canones qui sequuntur suppletorios esse.

Ex altera autem ratione non videtur hic esse sensus quia principia aliqua in canonibus qui sequuntur habentur quae Statutis nullatenus mutari possunt. Ergo textus mutari debet.

Conveniunt Consultores et, auditis eorum sententiis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus sic se habeat:

« Nisi aliter aliud expresse provisum fuerit, in coeteris electionibus.... » et mentio fiat in singulis sequentibus canonibus de Statutis, quia mentio de iure particulari non sufficit. Placet.

In textu proposito, ex suggestione Rev.mi primi Consultoris dicatur « nisi aliter aliud *lege...* » ad consuetudinem excludendam.

Canon 16 (CIC 161) olim 15

Si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Placet textus, cui tamen praeponatur locutio « Salvis legitimis collegii aut coetus Statutis, si cui ... ».

Canon 17 (CIC 162) olim 16

§ 1. Collegii aut coetus praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Quoad § 1:

Loco « statuto modo » dicatur « modo Statutis determinato » et vice « vel in loco... vel in loco commorationis », dicatur « aut in loco.... aut in loco commorationis ».

Quoad § 2:

Rev.mus primus Consultor questionem linguisticam ponit: praefert enim ut dicatur « invalidari » loco « irritari », quia hic agitur de actu defectuoso et non de se ipso iure irrito.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. ex eo quod nulla adest differentia.

Textus § 2 remanet sicuti est.

Canonis textus placet cum emendationibus in § 1.

Canon 18 (CIC 163) olim 17

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 17, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Quoad § 1:

Rev.mus primus Consultor quaestionem movet de electione quae multoties per epistulam fit.

Ill.mus tertius Consultor tenet iam provisum esse in can. 15 (olim can. 14 bis), ubi agitur de norma suppletoria. Cum, tamen, modificatus sit ille canon, etiam hic mutatur: post « exclusa », adiungitur locutio « nisi aliud Statutis legitimate provideatur ».

Placet § 1.

Quoad § 2: placet.

Canon 19 (CIC 164) olim 18

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Placet omnibus.

Canon 20 (CIC 165) olim 19

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet, salvis legitimis privilegiis.

Rev.mus primus Consultor quaerit quaenam sint privilegia de quibus sermo est in textu.

Rev.mus Secretarius Ad. observat locutionem esse in Codice et secundum suam sententiam servandam esse. Ceterum, si sunt legitima, non videt cur supprimi debeant.

Rev.mus secundus Consultor etiam tenet posse haberi casus de privilegiis istis.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit, etiam si verba in textu supermerentur, privilegia adhuc remanere et sustineri.

Rev.mus primus Consultor insistit ut verba « salvis privilegiis legitimis » tollantur, propter experientiam adquisitam sive quoad vitam universitatis sive quoad consilia civilia: datur enim hoc modo possilitas privilegia petendi et concedendi. Item insistit ut tollantur verba Rev.mus quartus Consultor.

Etiam Ill.mus tertius Consultor tenet verba tollenda esse, quia iam provisum est in can. 15.

Res per suffragationem solvitur:

Sunt pro textu uti iacet: 2 (Secretarius Ad. et secundus Consultor);

Sunt pro suppressione verborum: 3 (tertius, quartus et primus Consultores).

Ergo verba supprimuntur.

Ill.mus tertius Consultor instat in canone loquendum potius esse de iure eligendi et non de adscriptione ad collegium.

Negant Rev.mi primus Consultor et Secretarius Ad. quia secus statuta suffragium quomodocumque extraneis tribuere possent.

Textus remanet prout iacet, demptis verbis « salvis legitimis privilegiis ».

Canon 21 (CIC 166) olim 20.

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo impedita fuerit, ipso iure invalida est.

De sententia Rev.mi primi Consultoris verba « quoquo modo » nimis lata sunt. Possunt enim dari casus in quibus aliquod tentamen utique adsit libertatem electionis impediendi, quo tamen non proprie libertas impeditur.

Consentit Rev.mus Secretarius Ad. et proponit ut adiungatur « reapse » ante verba « impedita fuerit ».

Facta emendatione, canon placet omnibus.

Canon 22 (CIC 167) olim 21

§ 1. Nequeunt suffragium ferre:

1º Incapaces actus humani;

2º Minores sexdecim annorum;

3º (circa infamiam iuris res accomodabitur ad ea quae in coetu de poenis statuentur);

4º Qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus ...;

5º Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Quoad § 1:

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco « Nequeunt suffragium ferre » dicatur « Inhabiles sunt suffragium ferendi »: hoc enim modo res clara evadit quia agitur de invaliditate et non de illiceitate tantum. Placet propositio.

Quoad n. 2:

Rev.mus secundus Consultor petit ut limes aetatis elevetur et Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « duodeviginti » loco « sexdecim ». Placet etiam haec propositio.

Quoad n. 3:

Notat Rev.mus quartus Consultor in coetu de poenis amplius locum non habere infamiam iuris.

Non concordat cum hac suppressione Rev.mus primus Consultor, quia est contra Sacram Scripturam.

Tandem aliquando, facta disceptatione, textus remanet prouti est.

Quoad n. 4:

Secundum Rev.mum quartum Consultorem iam provisum est in can. 20 (olim 19); fratres seiuncti, enim, nequeunt membra alicuius collegii esse.

Notat Rev.mus Secretarius Ad. aliam rem esse ac in canone 20.

Secundum Rev.mum primum Consultorem verum est aliquem membrum esse, si ius suffragium ferendi habet, tamen, ratione consiliorum laicorum, possunt dari casus personarum, quae alicui ecclesiae seiunctae ab Apostolica Sede Romana adscriptae sint, uti accidit, ex.gr. — adiungit Rev.mus Secretarius Ad. — in consiliis Facultatis in Universitatibus, et nihilominus membra sint vel esse possint alicuius collegii in Ecclesia Catholica.

Placet ut textus remaneat uti est.

Quoad n. 5:

Rev.mus primus Consultor petit ut supprimantur verba « vi iuris » et dicatur « vi legis ».

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. iuxta cuius sententiam textus debet remanere quia in iure poenali aliquae poenae latae sententiae remanent. In sententia declaratoria radix est lex, ideoque recte dicitur « vi praescripti iuris »; et in sententia condemnatoria radix est iudicis sententia, ideoque dicitur « vi sententiae ».

Idem Rev.mus Relator proponit ut dicatur « vi sententiae condemnatoriae » loco « ob legitimam iudicis sententiam ».

Animadvertisit Rev.mus quartus Consultor leges adesse quae inhabilitant sine necessitate alicuius sententiae declaratoriae, uti in can. 578, 3º CIC.

Rev.mus primus Consultor opinionem habet inhabilitatem tantummodo adesse si effectus legis declarantur. Tamen a sua opinione recedit.

Post disceptationem, omnes Consultores conveniunt ut dicatur « sive vi legitimae sententiae iudicialis ».

Quoad § 2:

Placet, mutatis tamen ultimis verbis cum « per sententiam condemnatoriam aut habita sententia declaratoria ».

Canon 23 (CIC 169) olim 22

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1º liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures personas disiunctive;

2º secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

Quoad § 1:

Mutetur tantum, in n. 1, verbum « plures » cum « diversas personas ».

Quoad n. 2:

Secundum Rev.mum primum Consultorem, verbum « certum » idem esse ac « determinatum », quod tamen negat Rev.mus Secretarius Ad., quia « certum » non dubium significat, et « determinatum » personam determinatam respicit. Remanet ergo textus huius numeri.

Placet ergo canon cum emendatione in § 1, n. 1.

Canon 24 (CIC 170) olim 23

Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

Hic canon, omnibus consentientibus, supprimitur.

Canon 24 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores current ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Quoad § 1: placet.

Quoad § 2:

Rev.mus primus Consultor praferret ut loco « constitutionibus dicitur « statutis », quia est terminus magis generalis, sed contradicit Rev.mus

Secretarius Ad., qui proponit ut primus terminus servetur et alius adiungatur; itaque textus sic se habet: « constitutionibus statutisve aut legitimis consuetudinibus determinatam ».

Placet propositio.

Quoad §§ 3-5:

Placent, demptis tantum commatibus, in § 5, post « ab eo.. » et « fungitur ».

Canon 25 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate elegant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, nisi iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

Notat Rev.mus Secretarius Ad. electionem per compromissum exceptionem esse; attamen Rev.mus primus Consultor anceps est de opportunitate formulam traditionalem mutandi etsi verum est electionem per compromissum exceptionem esse.

Insistit Rev.mus Secretarius Ad., iuxta cuius sententiam electio per compromissum fieri nequit nisi de ea expresse sit praevisum.

Notat Rev.mus secundus Consultor, praesertim in electionibus quae apud instituta religiosa fiunt, difficultates adesse posse ex eo quod multa sunt subiecta seligendi. Debet, iuxta eius sententiam, servari haec possiblitas.

Caeterum, animadvertisit Rev.mus primus Consultor, in textu multae sunt clausulae quae exceptionem indicant: conditiones enumerantur: ex. gr., ut debeat fieri unanimiter, scripto, etc.

Post disceptationem, placet ut remaneat.

In § 1, lin. 1a, post « iure » adiungantur « aut statutis ».

In § 2, loco « nisi iuri non contrarias » dicatur tantum « iuri non contrarias ».

Canon 26 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromitentes:

- 1° revocatione a collegio aut a coetu facta, re integra;
- 2° non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° electione absoluta, si fuerit nulla.

Placet textus canonis.

Canon 27 (CIC 174)

Is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can...

Placet: tamen textui praemittantur verba « Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is ... ».

Canon 28 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Placet canon.

Canon 29 (CIC 176)

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

In § 1, proponentibus Rev.mis secundo ac primo Consultoribus et Secretario Ad., dicatur « officium pleno iure statim obtinet », loco « plenum ius statim obtinet ».

In § 2 dicatur « in administratione », loco « administrationi ».

Placet canon cum emendationibus propositis.

Canon 30 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officium, nisi aliud in iure caveatur.

Quoad § 1:

Rev.mus quartus Consultor proponit ut post « octiduum » adiungatur « utile » atque supprimantur verba « nisi probaverit... iusto impedimento ».

Contradicunt Rev.mi Secretarius Ad., secundus et primus Consultores, quia tempus utile est criterium obiectivum, dum impedimentum propriè respicit personam. Non sufficit tempus utile tantum, quia utile non esse pro persona probatione indiget.

Textus remanet prouti iacet, cum additione verbi « utile ».

Paragraphi 2 et 3 placent.

Quoad § 4:

Facta disceptatione, textus sic sonat: « Facta confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur».

Canon 31 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Canon placet omnibus.

Canon 32 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant impedimentum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Placet textus canonis, sed in § 1, post verbum « impedimentum », ad-datur « canonicum ».

Canon 33 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro elec-tione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

Rev.mus primus Consultor circa § 2am aliquam habet difficultatem ex usu verborum « aequivalens » et « aequipollens », quia ipsi videtur contra voti certitudinem. Tamen non insistit et textus remanet sicuti iacet.

Placet ergo omnibus.

Canon 34 (CIC 181)

§ 1. Postulatio intra octiduum mitti debet ad auctoritatem com-petentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auc-toritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postu-landi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impe-dimento.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam auctoritas competens admittere non tenetur.

§ 4. Praesentatam auctoritati competenti postulationem electores re-vocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

Quoad § 1:

Proponente Rev.mo primo Consultore, adiungitur verbum « utile » post « octiduum »; proponente, pariter, Ill.mo tertio Consultore, post « postulatio », initio § 1, adiungitur « a praeside » ita ut clarius evadat a quoniam postulatio mitti debeat. Placet haec paragraphus cum duobus emendationibus superius indicatis.

Quoad § 2:

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit responsabilitatem et sanctiōnem in praesidem et non in alios cadere debere. Notat tamen Rev.mus primus Consultor praesidem universum collegium repraesentare.

Rev.mus secundus Consultor notat canonem tantum applicari posse si collegium in loco determinato adunatum est et non, verbi gratia, si res per epistulam fiunt. Ideoque melius est ut dicatur « collegium vel coetus » loco « electores ».

Placet haec emendatio.

Ex propositione Ill.mi tertii Consultoris, qui casum proponit ubi negligētia vel dolus ex parte praesidis verificetur in postulatione mittenda, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut adiungatur « aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportunomittenda abstinuisse ».

Placet etiam haec propositio.

Rev.mus quartus Consultor petit ut tantum de dolo mentio fiat et insitit pro supprimendis verbis « iusto detentos fuisse impedimento », etiam quia repetitio habetur.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. quia factum impedimenti et facta quod quis tempus utile non habuit probari debent. Etiam claritatis causa servari debet, quia quandoque repetitio necessaria est.

Notat Ill.mus tertius Consultor in canonum generali revisione textum emendatione indigere sive quoad verborum uniformitatem, sive quoad repetitiones.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit problema technicae iuridicæ esse; nam, si definitio datur; servanda est in toto systemate absque necessitate eam variis in locis repetendi.

Ad quaestionem repetitionis quod attinet, Rev.mus primus Consultor distinguit inter sphæram theoreticam et practicam: quoad secundam melius est ut singulis in locis ea omnia quae utilia sunt repeatantur, claritatis commoditatisque causa; quoad primam, post temporis utilis indicationem eiusque modus computationis indicari debet; pariterque exprimenda est necessitas impedimentum probandi. Et hoc, uti regula pro omnibus casibus valet.

Luxta sententiam Ill.mi tertii Consultoris, postulatio est institutum quod pro parvo coetu est cogitatum: nam, si coetus est sat amplius, obiectum esse potest eorum qui « gruppi di pressione » nuncupantur, ideoque postulatio in Codice reliquenda est tantum pro electione in parvis coetibus.

Notat Rev.mus primus Consultor rem ita se habere posse etiam ad parvos coetus quod attinet; nam, si auctoritas suum non implet munus, canones ad nihil valent.

Post disceptationem, omnes conveniunt ut pro nunc repetitio maneat et textus iuxta superius probata, ita sonat:

« Si intra ... nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur ... nisi probetur praesidem a mittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportuno mittenda abstinuisse ». Placet.

Quoad § 3:

Ratione latinitatis, textus sic se habet: « Postulato ... eam admittendi auctoritas... obligatione non tenetur ». Placet.

Quoad § 4:

Rev.mus primus Consultor proponit ut loco « praesentatam » dicatur « intimatam », sed Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit intimationem ab auctoritate ad inferiorem fieri et non e converso, et proponit ut dicatur: « Factam... postulationem ». Placet.

Canon 35 (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § 1 (CIC 175).

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, plenum ius statim in officio acquirit.

Quoad §§ 1-2: placent.

Quoad § 3:

Sequens probatur textus: « Qui... acceptet, pleno iure statim officium obtinet ». Placet.

Canon 36 (CIC 183) olim can. 1 de ammissione officii ecclesiastici.

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

Placet canon, mutatis tantum verbis « iure Superioris a quo », cum « iure auctoritatis a qua » in § 2.

Canon 37 (novus) olim 2.

Qui expleverit aetatem, qua impleta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

Expressio « qua impleta », iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam, est superflua et Rev.mus Secretarius Ad, postquam observaverat aliquem non aetate fieri emeritum, sed expletione aetatis, proponit ut dicatur « qua adepta » loco « qua impleta ». Placet propositio.

Canon 38 (CIC 184) olim 3

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

Placet canon uti est.

Canon 39 (CIC 185) olim 4

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, ipso iure irrita est.

Placet, sed loco « aut... vel » dicatur « vel ... aut ».

Canon 40 (CIC 186-187-189-191) olim 5

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, ut effectum sortiri valeat, intra tres menses acceptari debet; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit a renuntiante revocari valet; effectu secuto, revocari nequit, sed qui renuntiaverit officium alio ex titulo consequi potest.

Quoad §§ 1-2: placent.

Quoad § 3:

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam, textus non est clarus, quia non indicatur quid de renuntiatione erit in casu non acceptationis et quae-rit quid erit de officii vacatione.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: « Renuntatio, quae acceptatione indiget, intra tres menses non acceptata eo ipso cadit, vel extinguitur ».

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam: « Renuntia-tio quae acceptatione indiget, nisi intra tres menses acceptatur, omni vi caret... ».

Placet haec propositio.

*Quoad § 4: placet.**Canon 41 (CIC 193) olim 6*

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi of-ficio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Placet.

Canon 42 (CIC 194) olim 7

§ 1. In translatione prius officium vacat per possessionem alterius of-ficii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec alterius posses-sionem canonice habeat.

Quoad § 1:

Placet, sed mutentur verba « In translatione » cum « Translationis ratione ».

Quoad § 2:

Placet, sed loco « habeat » dicatur « obtinuerit ».

Canon 43 (novus) olim 8

Ab officio quis amovetur sive decreto auctoritatis competentis ad normam can. 5, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quae sitis, sive ipso iure ad normam can. 3.

Textus sic se habet: « Ab officio quis ... decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis ... ad normam can. 45 ».

Canon 44 (novus) olim 9

§ 1. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad nutum auctoritatis competentis, potest quis qualibet iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 2. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 3. Eadem norma § 2 valet ut ab officio, quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimationum est.

Rev.mus primus Consultor aliquam habet difficultatem circa locutionem « ad nutum ». Petit insuper ut ordo paragraphorum mutetur, ita ut prius sermo fiat de officio quod per se ad vitam confertur, dein ad tempus determinatum, denique ad nutum.

Ideoque paragraphorum ordo sic mutatur: § 2 fit § 1; § 3 fit § 2 et § 1 fit § 3.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « ad nutum » dicatur « ad prudentem discretionem » et tollatur verbum « qualibet » in § 3 (olim § 1).

Emendationes placent omnibus sicque totus canon.

Canon 45 (novus) olim 10

§ 1. Ipso facto iure a quolibet officio amovetur:

1º qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2º qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3º qui aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit, salvo canone 7 (ubi de clausula derogatoria);

4º qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoratis competentis atque Superioris religiosi, officium retinere possit;

5º qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

6º qui contra iuris praescripta officium deseruerit;

7º qui residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab auctoritate praefinitum, nec paruerit nec responderit.

§ 2. Ipso facto ab officio clericali amovetur:

1º qui statum clericalem amiserit;

2º qui militiae saeculari nomen sponte dederit.

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 ut urgeri valeat requiritur ut de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Quoad § 1:

Post « officio » adiungatur adiectivum « ecclesiastico ».

N. 1: placet.

N. 2: Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « qui matrimonium civile tantum, neglecto matrimonio canonico si requiritur », tamen, cum alii non concordent, textus remanet prout iacet. Placet.

N. 3: Rev.mus primus Consultor notat, iuxta mutationem in can. 7 de officiis ecclesiasticis inductam, hunc numerum conservari non posse quia tantum Superior de incompatibilitate deque necessitatis statu iudicium fert.

Omnis conveniunt ut n. 3 deleatur.

NN. 4-5 (qui fiunt 3-4): placent.

N. 6 (qui fit 5): Rev.mus primus Consultor tenet verba « contra iuris praescripta » ad desertionis conceptum pertinere ideoque superflua esse.

Quaerit tamen Rev.mus Secretarius Ad. quandonam habeatur desertio. Notat insuper pro norma iuridica haec verba nimis indeterminata esse, et quaerit utrum determinandus sit textus an res Superioris iudicio relinquenda sit.

Animadvertisit Rev.mus primus Consultor desertionem haberi cum quis officium relinquat et voluntatem relinquendi habet. Coeterum desertio est

semper contra iuris praescriptum, quia non datur desertio secundum iuris praescriptum.

Rev.mus quartus Consultor claritatis causa, proponit ut adiungatur « publice » post « officium » ut factum desertionis probari possit.

Textus, igitur, n. 5 est sequens: « qui officium publice deseruerit ». Placet.

N. 7 (qui fit 6): textus sequenti modo emendatur, proponentibus Rev.mis Secretario Ad. et quarto Consultore,: « qui obligationem resideniae, qua tenetur, violaverit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum ab auctoritate praefinitum tempus, non paruerit aut eidem non responderit ».

Quoad § 2:

propter harmoniam cum § 1, dicatur « ipso iure « loco « ipso facto ».

N. 1: placet.

N. 2: adiungatur in fine: « ... sponte dederit *contra can.* ... (de clericis) ».

Placet § 2.

Quoad § 3:

Placet cum sequenti emendatione: loco « ut urgeri valeat requiritur ut ... » dicatur: « urgeri tantum valet si ... ».

Canon 46 (novus) olim 11

Si quis per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas curare debet ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut hic canon inseratur post canonom 44, sed contradicit Rev.mus primus Consultor quia prius de modis amotionis et postea de effectibus sermo instituendus est.

Ergo res manet prouti est.

Textus emendatus sic se habet: « Si quis, non quidem ipso iure, sed per decretum, eadem auctoritas obligatione tenetur curandi ut ipsius subsistentiae... ».

Placet.

Canon 47 (novus) olim 12

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

Placet omnibus.

* * *

Ita explicit examen canonum, qui revisendi erant, de personis physicis et iuridicis, de actibus iuridicis et de officiis ecclesiasticis.

Gressus fit ad tractationem *de ordine systematico* Libri I Codicis.

Rev.mus Secretarius Ad. petit ut saltem aliquae ideae exprimantur et colligantur, quae postea, proximis Sessionibus, evolventur.

Rev.mus primus Consultor notat, si sistema beneficiale amplius locum in Codice non inveniet, materiam de beneficiis ad illam de officiis transire debere, necessariis cum aptationibus.

Sermo instituendus est per ordinem sequentem: de officii erectione, de modis innovationis deque suppressione.

In initio tituli de officiis ponatur materia de organisatione: de officiis principalibus et secundariis, de officiis, quae concrete adsunt si eriguntur.

Rev.mus Secretarius Ad. petit ut votum Consultores promant de ordinatione — sensu organisationis —; de erectione, de modis innovationis et de suppressione officiorum, quae ab erectione pendent, id est quae erectione indigent. Agitur de officiis quae communitatem ecclesiam constituunt.

Rev.mus secundus Consultor loquitur de officiis quorum erectione communitas ecclesialis creatur. Sic, ex. gr., cum erectione Episcopi dioecesani officii insimul communitas ecclesialis dioecesana creatur.

Convenit Rev.mus primus Consultor, quia erectio officii Episcopi dioecesani sine communitate cogitari nequit.

Rev.mus Secretarius Ad., sua ex parte, loquitur de officiis quorum existentia cum erectione communitatis ecclesialis essentialiter cohaeret.

Rev.mus primus Consultor dicit ea tantum, quae generalia sunt, locum in Libro I invenire debere et dubitat ea, quae de officiis ecclesiasticis dicuntur, esse vere generalia. Iuxta eius sententiam potius ad Ecclesiae constitutionem pertinent, de qua in parte speciali Libri II sermo instituendus est, id est postquam actum sit de rebus generalibus: dum materia de personis earumque actibus iuridicis, cum ad generalia pertineat, inserenda est in Libro I.

Ad actus administrativos quod attinet, idem Rev.mus primus Consultor aestimat titulum de rescriptis in toto revideri debere, quia multa praescripta minime actus administrativos respiciunt et potius ad potestatem gratiosam sese referunt. Ideoque prius sermo instituendus est de actibus administrativis in genere, abstrahendo a distinctione an actus sint exercitii potestatis gratiosae vel coercentis, et postea de singulis actibus potestatis gratiosae, uti ex. gr. de privilegiis, dispensatione, etc., necnon potestatis coercentis, uti sunt ex. gr. praecepta, decreta, etc.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit in codicibus civilibus principia generalia de actibus administrativis non haberi, sed tantum normas dari de singulis actibus. Etiam non hoc modo agere debemus, ne manuale quoddam de Codice faciamus.

Et cum haec dicta sint, finis Sessionis laboribus imponitur.

Argumentum disceptionis proximae Sessionis erit de ordinatione officiorum, quae ab erectione pendent vel erectione indigent.

Romae, die 18 februarii 1972.

M. DE NICOLÒ
Adiutor a studiis

CANONES

DE PERSONIS IURIDICIS

Canon 1 (CIC 99)

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

Canon 2 (CIC 100)

Personae iuridicae constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

Canon 3 (CIC 99 et 100)

§ 1. Personae iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus feren-tis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad normam iuris et statutorum.

§ 3. Universitas rerum constat bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, eamque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive una vel plures personae physicae sive Collegium.

Canon 4 (novus)

§ 1. Personae iuridicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut infra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eamdem expresse concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisita, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem expresse concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens eamdem consequi valet nisi cuius statuta a competenti auctoritate sint probata.

Canon 5 (CIC 100 § 3)

Personae iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

Canon 6 (novus)

Personam iuridicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

Canon 7 (CIC 101)

Ad actus collegiales quod attinet:

1° si agatur de electionibus, et iure statutisve aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure statutisve caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

Canon 8 (CIC 102)

§ 1. Persona iuridica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competenti auctoritate legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona iuridica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio ad normam statutorum dissolvatur, aut si, de iudicio auctoritatis competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae iuridicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

* * *

DE ACTIBUS IURIDICIS

Canon 1 (novus)

§ 1. Validus est actus iuridicus a persona habili aut competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderantur sollemnia vel requisita lege ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus externus rite positus praesumitur validus; quae tamen praesumptio invocari nequit ad probanda quae natura sua actum essentialiter constituunt nec in dijudicanda competentia, quae quidem positive est probanda.

Canon 2 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam cann. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Canon 3 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidit in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Canon 4 (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo, de quibus in can. 2 § 2, aut ex ignorantia vel errore de quibus in can. 3, votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris iis quorum interest.

Canon 5 (CIC 105)

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1º Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2º Si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3º Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; quod si non convocentur omnes, aut si iisdem non praebeatur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4 (can. 16 § 3 textus recogniti);

4º Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

Canon 6 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere positio, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

* * *

TIT. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI*Canon 2 (CIC 147)*

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam iuris.

Canon 3 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Canon 4 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particularis aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exiguntur, valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam Tribunalis administrativi.

Canon 5 (CIC 154)

Officium secumferens curam animarum ad quam plene adimplendam ordinis Sacerdotalis exercitium requiritur, clerico sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit.

Canon 6 (CIC 155)

Officii provisio, nisi aliud iure statuatur, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

Canon 7 (CIC 156)

Nisi adsit vera necessitas, nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

Canon 8 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Canon 9 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Canon 10 (CIC 158)

Qui, vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in provisum, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Canon 11 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Art. I - DE LIBERA COLLATIONE

Canon 12 (CIC 152)

Nisi aliud explicite iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario Generali et Vicario Episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

Canon 13 (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptat aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Art. II - DE ELECTIONE

Canon 14 (CIC 160) (norma provisorie inscripta)

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 decembris 1945, M.P. Ioannis XXIII *Summi Pontificis electione*, 5 septembris 1962, necnon M.P. Pauli VI *Ingravescentem aetatem*, 21 novembris 1970.

Canon 15 (CIC 160)

Nisi aliter aliud lege expresse provisum fuerit, in coeteris electionibus canonicis serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Canon 16 (CIC 161)

Salvis legitimis collegii aut coetus statutis, si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapsa, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Canon 17 (CIC 162)

§ 1. Collegii aut coetus praeses modo statutis determinato, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat aut in loco domicilii aut quasi-domicilii aut in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electione est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Canon 18 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 17, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione statutis, exclusa, nisi aliud statutis legitime provideatur, facultate ferendi suffragia sive per epistulam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Canon 19 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Canon 20 (CIC 165)

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet.

Canon 21 (CIC 166)

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Canon 22 (CIC 167)

- § 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi;
- 1° Incapaces actus humani;
 - 2° Minores duodeviginti annorum;
 - 3° (circa infamiam iuris res accommodabitur ad ea quae in coetu de poenis statuentur);
 - 4° Qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus...;
 - 5° Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive vi legitimae sententiae judicialis.
- § 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam condemnatoriam aut habita sententia declaratoria.

Canon 23 (CIC 169)

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1° liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut diversas personas disiunctive;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censetur.

Canon 24 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus statutisve aut legitimis consuetudinibus determinatam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Canon 25 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure aut statutis caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate elegant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

Canon 26 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromitentes:

- 1º revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2º non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3º electione absoluta, si fuerit nulla.

Canon 27 (CIC 174)

Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 7 recogniti de actibus iuridicis.

Canon 28 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Canon 29 (CIC 176)

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, officium pleno iure statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere in administratione officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Canon 30 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum utile a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum reperit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur.

Canon 31 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmando esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Art. III - DE POSTULATIONE

Canon 32 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius, quem electores aptiorem putent ac praferant, impedimentum canonicum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Canon 33 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

Canon 34 (CIC 181)

§ 1. Postulatio a praeside intra octiduum utile mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur iure eligendi aut postulandi, nisi probetur praesidem amittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportunomittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Factam auctorati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

Canon 35 (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § 1 (CIC 175).

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, pleno iure statim officium obtinet.

Caput II - DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 36 (CIC 183)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis a qua fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod in officii provisionem competit.

1. DE EMERITATU

Canon 37 (novus)

Qui expleverit aetatem, qua adepta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

2. DE RENUNTIATIONE

Canon 38 (CIC 184)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi renuntiatio sit ipsi canonice interdicta.

Canon 39 (CIC 185)

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo vel errore substantiali aut simoniace facta, ipso iure irrita est.

Canon 40 (CIC 186-187-189-191)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, nisi intra tres menses acceptetur, omni vi caret; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

3. DE TRANSLATIONE

Canon 41 (CIC 193)

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit qualibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Canon 42 (CIC 194)

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Reditus prioris officii translatatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

4. DE AMOTIONE

Canon 43 (novus)

Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 45.

Canon 44 (novus)

§ 1. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 2. Eadem norma § 1 valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis, ante hoc tempus elapsum, amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Canon 45 (novus)

§ 1. Ipso iure a quolibet officio ecclesiastico amovetur:

1° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2° qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3° qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Superioris religiosi officium retinere possit;

4° qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

5° qui officium publice deseruerit;

6° qui obligationem residentiae, qua tenetur, violaverit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum ab auctoritate praefinitum tempus, non paruerit aut eidem non responderit.

§ 2. Ipso iure ab officio clericali amovetur:

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui militiae saeculari nomen sponte dederit, contra can... (de clericis).

§ 3. Amotio de qua §§ 1 et 2 urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Canon 46 (novus)

Sit quis, non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas obligatione tenetur curandi ut ipsius substantiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

5. DE PRIVATIONE

Canon 47 (novus)

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

